

Petrus de Vinea

*Ep. I 15 (Pensantes amoris
affectum, quem ad vos...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 15 (Pensantes amoris
affectum, quem ad vos...)*

maggio 1250

Friderici regi Castellae, grauis querimonia de domino
papa

1. Pensantes amoris affectum, quem ad vos semper habuimus hactenus et habemus illesum, firmiter credimus, ut sicut honorem vestrum et commoda libenter amplectimur, sic nos vice mutua diligatis et nostra, quae maxime causam vestram aliorumque regum et principum immediate contingunt, et in quibus non minus vestrum quam nostrum vertitur interesse. 2. Latere quidem vos forte non credimus, qualiter pontificalis ambitio dignitatis in imperialis honoris dispendium et aliarum singularium secularium dignitatum conata est semper hactenus iura nostra confundere et nostrae potentiae brachia conculcare, faciens a Cesare Romano principium, ut ad reges et principes alios faciliorem habeat in sua cupiditate progressum. 3. Ipse quidem non advertens, quot et quanta mundo discidia ex huiusmodi turbatione proueniant, tractare non desinit, qualiter hostes nostros contra nos temporaliter incitet et fideles nostros a nostra deuotione subuertat. 4. Qui, si rebus ordinarie procedentibus rectitudinis spiritu duceretur, deberet contra Christicolas arma deponere et in Terrae Sanctae subsidium, quam quolibet inspicimus auxilio destitutam, uniuersaliter a Christi fidelibus aduocare succursum, preter alia namque discrimina, quae, per unionem sopiendae discordiae inter nos et summum pontificem procurandam, totus iam fere mundus potuit euitare. 5. Nunc miserabili casui, quem non sine fidei dispendio audiuius euenisse, in partibus Transmarinis fuisset forte salubriter et accurate prouisum, cum ibidem nostram uel filiorum nostrorum presentiam, quam libenter et frequenter obtulimus, habere potuerit

fructuosam, si petita per nos multotiens pacis fauere negotio uoluisset. 6. Nos enim, qui propter honorem catholicae fidei sacrosantam Romanam Ecclesiam in omnibus reueremur ut matrem et dominam, et libenter ut patrem summum pontificem coleremus, si ipse nos ut filium debita relatione tractaret, sic in negotio ipso iura nostra defendimus, ut non solum nobis, sed principibus aliis gloriam de nostra defensione portemus. 7. Vos tamen, quorum in hoc non minus vestra quam nostra causa nunc agitur, et in quos de facili posset huiusmodi refundi negotium, sic aperte videmini presentia facta negligere, uel super hiis potius dormire, tamquam si vos in nulla parte contingeret et de honore vestro cura nobis sollicitudinis non adesset. 8. Quis enim cautelae modus in vos et in regibus aliis in casu simili remaneret, si causam ipsam Romanus Augustus desereret, uel quorum humeri ad onera ista portanda sufficerent, si colla nostra subtrahere ab eorumdem onerum supportatione uellemus? 9. Verum cum istae Romanae Sedis antistes, ab ea forte deuians pietate, quam predicat quocumque modo potest, licet contra nos suum posse non ualeat, tam in Imperio quam in regnis nostram nitatur offendere maiestatem, motus nostros artare non possumus, quin causam nostram et aliorum in nostra viriliter tueamur. 10. Requirimus igitur affectionem vestram et rogamus, quatenus diligentius aduertentes, qualiter summus.